DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

HERPETIS FURFURACEI UNIVERSALIS MALIGNI CASUM MEMORABILEM

ADJECTA DISQUISITIONE CRITICO-HISTORICA.

QUAM
CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE
SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE CAPESSITURUS
DIE II. JUNII M. MDCCCXV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EDUARD. HENRIC. HOEPFFNER
REGIOMONTO-BORUSSUS.

CUM TABULIS DUABUS AENEIS.

BEROLINI,
TYPIS G. HAYNII.

„Sentio autem, nostrae artis incrementum in his consistere, ut habeatur primo historia morborum seu descriptio, quoad fieri potest graphica et naturalis; secundo praxis seu methodus circa eosdem stabilis ac consumata.“

Thom. Sydenham.

VIRO DOCTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

JOANNI THEOPH. GROSCHKE

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI

CURONIAE DUCIS OLIM ARCHIATRO, GYMNASII MITAVICI ILLUSTR. PROFESSORI, SOCIETAT. LITERAR. MOSCOVIT. PHILADELPH. ALIARUMQUE SODALI ETC. ETC.

NEC NON

VIRO OPTIMO

PETERS DICTO STEPHENHAGEN

BIBLIOPOLAE ATQUE TYPOGRAPHO MITAVICO

IN BELLO ATROCISSIMO VITAE MEAE SERVATORIBUS BENIGNISSIMIS

EX ANIMO GRATO

D. D. D.

AUCTOR.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego *Eduardus Henricus Hoepffner*, Regiomonto-Borussus, anno millesimo septingentesimo nonagesimo natus, matre mea mature exstincta, domo patris jurisconsulti, nunc etiam proh dolor! defuncti, aetatem infantilem solum peregi. Ex paucis, quae memoria e primis juventutis annis hilariter praeterlapsis conservavit, me elementa literarum Regiomonti in schola, sic dicta Francogallica, imbibisse, commemoro. Ut primum e pueris excesserim, patris consilio, me, ad studia amplius excolenda, contuli in Mariae-Arcis, urbis Borussiae occidentalis, gymnasium illustr., quod tunc temporis viris eruditissimis maxime florebat. Postea in literarum artiumque optimarum ratione ingredienda, in Conradino instituto literario, prope Gedanum sito, duce *Jachmanno* Clar., tempus non exiguum posui. Quaevis ad academiae studia adeunda necessaria sint, praeceptoribus illius loci doctissimis ac humanissimis grato ani-

ceptoribus illustr. *Hufeland*, *Horn*, *Graefe*, nec non viris celeberr. *Rudolphi*, *Knape*, debeam, haec verbis exprimere, modestia eorum nunc me vetat. Nunquam vero gratum animum memoria illorum cara aufugiet!

Examinibus denique omnibus, quae et universitatis et in universum patriae leges medicum practicum subire jubent, feliciter peractis, doctoris honores humiliter desideratos, actu disputatorio solenniter celebrando, a gratiosa Facultate medica accipere spero, ut medici castrensis muneribus iterum fungens, opem feram patriae nostrae filiis fortiter pugnantibus.

Prooemium.

§. 1.

Malorum cutaneorum regnum, dum vasto cryptogamorum imperio simile, formis perpetuo se mutantibus, in infinitum extenditur, physicis illa nosologice ordinaturis difficultates opponit innumeras. Conati sunt haec apte disponere plurimi auctores classici, quorum opera vero et propter errores philologicos et propter naturam exanthematum proteiformem, usque ad nostram aetatem plerumque irrita fuit. Quodsi nec Graeci aut Arabes morbos cutaneos, sub una eademque plaga observatos, notis suis succincte atque perspicue potuerunt describere, nec Romani valuerunt, ab erroribus inde ortis minime liberi, exanthemata translata et coelo alio moribusque corruptis variegata, veris atque distinctis depingere coloribus: nos quo tandem pacto poterimus aut veterum imaginum ambiguitatem illustrare, aut novorum exanthematum agmen, novis difficultatibus stipatum evadere?

§. 2.

Systemata et theoriae ambiguitate atque inconstantia semper laborabunt, quae quum formas tractent perpetuo mutabiles, ludi videntur a natura

legibus aeternis ac firmis temperata. Nec tamen rejicienda sunt systemata: per haec enim magis reclusa scientiae nostrae natura, malorum cura therapeutica etiam tutius impenditur. Quo cautius in exanthematibus dividendis observandum est, ut genera eorum distincte inter se secernantur, neque generum ac specierum conspectus turbetur immixtis, quae pro illis habeantur, varietatibus.

§. 3.

Quo consilio plurimi medii aevi scriptores caliginem veterum dissipare atque divisiones naturae magis congruas introducere tentaverunt. Sed ut *Wichmannus*, *) nosologiae unice quidem intentus, confitetur: „se *Lorrii* tractatum de morbis cutaneis celebratum legisse, neque ex eo, quod operae pretium esset, didicisse; ita cum *Sauvagesio* **) de caeteris dermapathologis dici potest: „et quidquid in libris eorum non quaeratur, ubique obvium esse, et quidquid quaeratur, nusquam inveniri.“ Exanthematum enim, ut in botanica olim, ad systema artificiale ordinandorum consilium, errores plurimi linguae terminis certis nondum circumscriptae, exemplorum singulorum descriptiones tam leviter affectae, ut diagnosin jam deprehensam saepe obscurarent magis quam illustrarent, imaginum denique verarum absentia, haec omnia confusioni illi in nosologia exanthematum observatae non parum favebant.

---

*) Ideen zur Diagnostik (1801) §. 9.

**) Nosologia methodica sistens morbor. classes. Tom. I. Introductio.

§. 4.

Itaque nonnisi opposita via tenebras illas veritatis luce illustrare poterimus, et quamvis fortasse veterum systema recte instituere frustra conabimur, novos tamen de malis cutaneis errores evitare valebimus, si modo in efflorescentiis nosologice ordinandis, ad botanicorum recentiorum exempla, systema naturale sequamur, idque veteres imitati, terminis omnino cognitis, praecipuam vero curam ponamus in exemplorum quum simplicium tum mirabiliorum imaginibus vere ac distincte pingendis, ne dubitari amplius possit de characteribus exanthematum essentialibus. Per tabulas enim pictas consequi poterimus quod jam dudum a lingua universali (quam dicunt) speraverunt eruditi, ut quidquid cogitatum ac scriptum ab omnibus agnoscatur hominibus literatis. Recte igitur *Wichmannus* *) et *Tilesius* **) utilissimas illas exanthematibus dignoscendis judicarunt. Quod judicium magis confirmant *Willanii* ***) atque *Aliberti* †) novissima opera. *Alibertus* praecipue de dermapathologia optime meritus est, redactis efflorescentiis cutaneis ad syste-

---

*) l. c. §. 4.

**) Theorie der flechtenartigen Ausschläge etc. (1802) p. 20.

***) Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung, systematisch beschrieben v. Robert *Willan*, a. d. Engl. v. Fr. Gotth. *Friese*. (Breslau 1799) 2 Bde.

†) *Alibert* description des maladies de la peau, observées à l'hopital St. Louis à Paris 1814.

ma naturale, impugnatum illud frustra a *Bateman-no* *) classificationis non melioris auctore.

§. 5.

Ea, quam modo dixi, ratione, exempli herpetum memorabilis historiam mihi concinnanti, finem huic operae destinatam adsequi fortasse contigit. Non enim in mali illius forma quamvis mirabili et per se commemoratione dignissima consistendum mihi ratus, sed principium verum, naturae leges ut ex tenerrima minimorum organorum textura, ita etiam ex phaenomenis manifestis, prominentibus, perscrutandas esse, sequens, exiguum hoc opusculum in medium proferre ausus sum. Pauca enim exanthematum genera tam late patent quam herpetum familia, siquidem non veterum sed recentiorum de illis notionem consideremus. Herpes igitur quam difficilis saepe sit cognitu utque propter formas suas maxime in stadio ultimo variantes non raro pro aliis efflorescentiis habitus, errores in classificationem varios inducere possit, mali supra memorati descriptione critico-historica eruere in animo habeo. Sed ne medicorum magis peritorum de vera morbi illius natura judicium turbare videar, hoc ordine procedat haec disquisitio, ut *primum* historiam exanthematis ad vivum depicti candide tradam, additis symptomatum proximorum anamnesticis sicut qualia praebuit sectio mulieris post morbum ab exanthemate ortum mortuae; *deinde*, in

*) A practical synopsis of cutaneous diseases by Thomas *Bateman.* London 1813. Preface.

parte secunda de exanthematis charactere e signis externis eorumque ad statum morbosum universalem ratione aestimare, itaque simul ad dividendi fundamentum nosologicum et causale, locum illi designare, quantum in me erit, conabor. Elucebit ex his, quod de commutationibus herpetum inter sese atque cum aliis efflorescentiis supra jam diximus, sicut experientiae argumentum; quomodo vera morbi natura non observata, dispositione ac rebus occasionalibus prius neglectis, malum quodvis eo malignitatis efferri possit, ut medici curam saperet diligentissimam.

I.

Historia morbi.

A.

Status morbosi universalis consideratio.

§. 6.

Quoniam ad morbos chronicos recte aestimandos conducit ultimorum phaenomenorum prodromos nosse ex omnium statuum morbosorum historia, ne ea quidem, quae morbum a me describendum antecesserant, omittenda erunt. Quae brevius mihi tractanti parata est excusatio. Aegrota enim in nosocomium recepta, quum cura optima therapeutica non caruisset, pathologice vero minus observata esset, paucos demum ante mortem dies curae nostrae commissa est. Eam ego diligentissime

exploravi, ut quicquid scitu dignum esset, inde eruerem. Et ipsa, quamvis neque ab ingenio, neque a memoria satis instructa, tamen salutis maxime spe excitata, gravissima vitae suae momenta, quae quidem ad valetudinem ejus spectarent, valebat narrare. Ex anamnesticis igitur pauca sunt quae tradi possint, confirmata illa plurimorum testimonio, qui hac muliere usi erant ancilla.

§. 7.

Carolina Moll, mulier nunquam nupta, XLIV annorum, quae, quum infans exposita esset, in orphanotropheum mox recepta, ibique ad annum octavum educata est. Meminit clare pueritiae suae, in qua malis gravibus se non affectam esse narrat. Vertebrae dorsalis curvatura, tunc jam scoliosis dicenda, in corpore libere moto, mox observabatur. Interdum dentibus laborans saepius capitis impetigine atque scabie tentabatur, idque prae caeteris infantibus, quamquam corporis munditiem haud quaquam negligebat. Scrophulaene affuerint, dubium est; tumores certe scrophulosi nunquam apparuerunt.

§. 8.

Vitae sedulae dedita, aegrota, inde ab anno octavo apud textorem sericarium per septem annos diligenter atque pudice famulata est. Quo tempore morbis obnoxia fuit plurimis oriundis tum ex constitutione plethorica, tum aliis ex causis. Neque omittendum est, quod animo erat probo quidem, sed iracundo saepe observato. Quae quum multum operaretur in aere perfluo atque rebus humidis, non

modo odontalgia identidem recurrente corripiebatur, sed etiam novis doloribus rheumatismi similibus. Haec mala secuta est febris intermittens pertinax. Qua medicaminibus domesticis vix depulsa, incidit in febrim nervosam. Ex qua dum lente convalescit, status urget plethoricus. Ante mensium fluxum jam adparentes sanguinis congestiones continuae, haemoptesin producentes, vix venaesectionibus saepe adhibitis coërceri possunt. Anno decimo quarto novum scabiei accessum querebatur mulier, quanquam ita loquuntur exanthematis hujus testes, ut, id mali praesentis initium jam fuisse, arbitremur. Observarunt enim mature in aegrota nostra exhalationem foetidam teterrimam, pruritu vehementiore comitatam. Hic quidem ut jam ante exanthematis eruptionem sentiebatur, ita post eruptionem crescebat. Conspiciebantur, nec in digitorum phalangibus primo, papulae in fundo rubro congestae, paullatim in furfura levia abeuntes, neque ortae ex contactu, neque ipsae contagiosae.

§. 9.

Hoc malo superato, anno decimo quinto menstrua apparebant, quae, continuo fere pro tempore non irregulares, copiosae tamen, saepissime sine mali venerei suspicione ulla, simul cum fluore albo, usque ad annum vix praeterlapsum fluebant. Apud pistorem muneribus domesticis diligenter fungens annos nata sedecim rheumatismo calido affecta est: talem enim statum morbosum ab illa narratum agnoscere debemus. Cui ut mederetur, quia non medici artis suae periti ope utebatur, malum illud

chronicum factum, post annum denique charactere suo amisso, ex pertinaci pedum oedemate adhuc elucebat.

Constitutione plethorica continua, affectibus nervosis, similibus illis in catalepsi observatis, laboribus gravibus non omissis, aegrotam nostram, anno ejus vicesimo, apoplexiae impetus primus invasit, quam mox lateris dextri paralysis secuta est. Tum quoque medici consilio repudiato, mulier per medicamenta certe nociva malo novo imperfecte liberata, hoc non exiguum exacerbatum videbat post secundum apoplexiae ante annos undecim accessum. Hunc cardialgia cum vomitu gravi conjuncta antecessit. Qua propter caritatis, quod dicitur, h. l. nosocomio tradita, post paralysin summum ad gradum evectam, ita sanata est, ut claudicans quidem ambulare tamen manibusque paululum uti valeret. Mox in ptochotrocheo per plures annos otio nimio fruens affectibus morbosis nunquam plane fuit libera. Digestio laesa, vires collapsae, cutis sensibilitas aucta, sanguinis ad pectus congestiones in haemoptysin degenerantes, indeque orti affectus asthmatici, phthiseos speciem jam prae se ferentes, gravissima erant symptomata tunc incusata.

§. 10.

Sic vero corpus morbis plurimis jam vitiatum, castitate per totam vitam observata, malo syphilitico nunquam subjectum, prodromis acutorum non praegressis, exanthemate teterrimo obsessum est. Quod ab initio simplex quidem, neglectum vero brevi ad miram illam speciem crevit, quae obser-

vatione praecipue digna, in paragraphis subsequentibus clarius illustrabitur. Antea tamen de origine ejus hoc monemus, aegrotam post formicationem invitam horripilationibus secutis frequentioribus, vidisse in pluribus corporis locis, primo vero in brachio dextro, mammis ac glutaeis, papulas plures minimas, ut ipsa dicit, miliares in area rubra congestas, easque humoribus non stillantibus, pruritu durante, subito in corpuscula furfuracea farinosa abeuntes, quae et, quum decidissent, regenerabantur, et ex funeribus suis rediviva recrudescebant, atque, ratione nobis quidem occulta, formas mirabiles infra describendas induebant.

§. II.

Exanthemate celerrime propagato nec medicaminibus optimis cedente, systema reproductivum maxime jam laborans ita affectum est, ut tabe universali gliscente exhaustae viderentur vires aegrotae, quum die X. Januarii huj. ann. iterum tradita est nosocomio caritatis. Quam quum vir perillustris *Horn*, medicus egregii illius instituti celebratus, curae meae commisisset, occasione ejus mali observandi optime oblata usus sum ad augendam artem reique medicae peritiam. Quantum exanthematis inusitati incrementum vitalitati detrimentum attulerit, quantum rursus vitalitas morbis plurimis depressa illud augere potuerit, id quidem, quum vita aegrotae jamjam extingueretur, non valuimus dijudicare. Conspicati autem illam, quo die recepta est, haec vitae exitum praesagientia invenimus symptomata: exanthema horrendum, cum pruritu

minus ingrato conjunctum, quod infra depingetur, mentem, ut videbatur, sanam, somnum tamen inquietum, insomniis terrificis, quasi deliriis, turbatum, respirationem anxiam, dyspnoicam, tussim cum sputis sat copiosis ac foetidis, exacerbationes febriles vespertinas, sudores nocturnos foetorem adstantibus intolerabilem spirantes, anasarcam ubique fere conspiciendam, extremitates ex paralysi immobiles, virium denique defectum irreparabilem.

Malorum omnium victima mortua est aegrota post dies octo, quum observata tantum esset; nam de cura therapeutica, vitalitate adeo deminuta, cogitari vix potuit. Itaque praeter quaedam virium reficiendarum atque conservandarum remedia, nulla externa cutisque affectionem spectantia porrigebantur. Curam diaeteticam non neglectam vix confirmantia, perscrutationem mali diligentem modo turbassent.

B.

Descriptio exanthematis.

§. 12.

Antequam descriptionem exanthematis aggrediar, corpus, illius quasi solum, propius illustrandum erit. Id vero omnibus suis partibus refert malorum gravitatem, quibus aegrota nostra succubuit. Multis locis oedemate tumens, adipisque stratis sublevatum, aliis rursum penitus collapsum, ob anchyloses paene immobile, corpus vivum adhuc, mortuo jam erat simile. Ut a partibus superioribus

incipiam, capilli rari vel minimo digiti tactu evellebantur. Oculorum obtutus fatuus, splendor languidus, nec minus faciei musculorum volumen collapsum, colorque illius luridus, vitae ignem evanescentem indicabant. Macies extrema in brachiorum maxime musculis visebatur, qui sub exanthematis crusta vix sentiri poterant, tendinibus similes. Manus, praecipue dextra, oedemate tumidae, anchylosibus spuriis introrsum curvatae, digiti unguibus curvis (phthisicis) instructi, ad usum non idonei. Robustior quidem truncus apparebat primo adspectu, cujus sectio, ut infra videbimus, perspicue demonstrabat, adipis strata ubique fere subjacentia speciem meliorem simulare. Vertebra dorsalis in regione lumbali dextra praecipue antrorsum curvata, quare, praeter multa alia inde derivanda mala, ob situm in ossibus ischii necessarium, ibi decubitus duos gravissimos observamus, quorum dexter maxime inflammatus, atque adeo gangraenosus, nihilominus, sensibilitate totius organismi tam imminuta, aegrotae nostrae dolores augere non valebat. Extremitates inferiores et ipsas oedemate tumentes, ob anchyloses spurias, genua contra flectentes, sensu quamvis exiguo non plane carentes, aegra movere vix poterat. Pudenda externa atque axillae pilis denudatae apparebant.

§. 13.

Quum caetera symptomata habitum universalem spectantia in paragraphis antegressis a me jam narrata sint, alia autem essentialia desint, efflorescentiae nostrae cutaneae descriptionem in medium

proferam. Quae eo difficilior erit, quo distinctius, pro corporis regionibus atque formationis gradibus diversis, formae exanthematis variae animadvertendae sunt. Non parum interest unius formae transitum in alteram pluribus locis observare, praesertim quum ex his, plures species vel ipsa genera in uno eodemque individuo simul adesse, falso opinari possimus. — Adspectu primo nobis in universum exanthema considerantibus imago offertur rarissima. Corpus enim praeter paucas regiones, totum prope fermenti siccati strato contectum, pollineque farinoso viridicante ex flavo albescente et hoc colore caseum Parmensem tritum referente, adspersum videtur. Adeo epidermidis morbosae stratum superius decidit in pulverem magis minusve grossiusculum, qui etiam partibus, ut videtur, malo non affectis incubat, morbosas vero statim agnoscere vetat, immensa simul copia lectulum aegrotae implet. Diligentius observanti et coloribus lucidioribus et formis variegatis loca singula clarius eminent, quae ubivis sicca, partim musciformium corpusculorum furfuraceorum, qualia saepissime videmus, congeriem accumulatam, partim squamulas tenues, subpellucidas plane incubantes, denique crustas crassiores, linearum trium, aridas, asperas, pro statu interno vero coactilia quasi repraesentant, quae passim in pannos majores sese evolvunt, seu in rhagades siccas et profundas finduntur, sub quibus cutis sicca ruboris rosei praelucet. Nec minus colores mutantur, qui pro gradu mali figurationis diverso, ex languide viridi

flavente in colorem albescentem cinereum subfuscum, in quibusdam vero corporis partibus praesertim erythemate affectas illas, in rubrum primo candicans, paullatim maxime intensum transeunt.

Haec formam universam efficiebant: nunc singula depingere conabor ea diligentia, quae monographiam decet, ut demantur potius superflua, quam desiderentur necessaria.

§. 14.

Incipiam ab extremitatibus inferioribus, in quibus malum non tam extensum quidem, verumtamen postremo, ergo forma maxime primitiva erupit. Pedum volas crurumque superficies posteriores exanthemate fere destitutas conspicimus, epidermidem tamen coloris consueti ubique subasperam, leviter fissam, foliatam propemodum. Quem statum initium quasi exanthematis existimare nobis licet, quod in superficie pedum anteriore usque ad genua surgit, ubi diebus proximis illud oriebatur, ita ut in locis commemoratis formam primitivam commode observare possimus. In fundo nempe rubro subtumido, furfurum tenuium farinosorum et simplicium dispersorum, et suprapositorum in medio strata plura muscis quasi similia accumulantium, acervos subtilissimos animadvertimus, quorum color ex flavente albescens, subviridis, paullatim in areae, furfurum illos acervos succingentis, rubrum transit. Uti vero malum in universum celerrime corpus summa vi occupavit, ita ejus progressus rapidos in partibus nunc descriptis intelligimus, quum oculis

vitro armatis intueri liceat congeriem papularum *) minimarum, earumque brevi siccatarum transitum repentinum in furfura primo simplicia, paullatim vero composita.

§. 15.

Formam magis squamosam inducit exanthema in femoris parte superiore et anteriore. Furfura illa levia superposita, hoc loco, ad instar lichenum arborum, etiam supra fundum rubicundum, sensim sensimque huc illuc in lemas majores, foliatas, irregulares, tenues et subpellucidas secedunt, quae passim devolutae, superficiei vero exteriori appropinquantes, iterum densiores, in glutaeorum epidermidem omnino depravatam confluunt.

§. 16.

Ex hisce locis ut dorso et mammis, exanthematis nostri pondus maxime deprehenditur. Decubitus dexter jam in ulcus gangraenosum transgressus, limbo ruboris flammei illud succingente, sub glutaeorum epidermide praelucet, atque abdominis cutis erythemate contingitur. Epidermis vero

---

*) Secutus sum Tilesii (l. c. p. 23.) definitionem papularum: „Es ist demnach ein Bläschen (phlyctis), eine lymphatische Erhebung der bloſsen durchscheinenden Epidermis, ein Blätterchen (papula) aber eine schwachere Erhebung der Epidermis zugleich mit dem Malpighischen Schleime.“ Antea Tilesius rationem affert, qua distinguit papulam a phlyctide, quae quidem distinctio illi a Willanio ac Batemanio propositae, non tam succinctae, praeponenda est.

hinc cum reticulo Malpighii, crusta lineas tres crassa, inaequalis conspicitur (Tab. II. Fig. 4.) *) quae in superficie inferiore parum aspera, laevis fere, intus chartae bibulae seu vesparum nidi texturae similis, in superficie vero superiore aspera in plicas fissa seque evolvens, marginibus duris atque suffarcinatis, supra decidens in pollen farinosum, a cute subjacente arida, nitide rubra, ne dolente quidem aegrota, facillime sejungi potest. Epidermidem propius observatam ex plurimis furfurum tenuium stratis densissime inter se contextis, constantem invenimus. Ubi vero ut in rhagadibus majoribus illa se evolvit atque in pannos non exiguos tollitur, substantiam magis coriaceam videre nobis videmur, quae tamen structura interna reliquae epidermidi morbosae eadem gaudet. Color, ut supra dictum est varians, pone decubitum ad regiones abdominis inferiores et anteriores rubore supra magis roseo, infra tamen intensiore, delitescit. (Tab. I.).

§. 17.

Imaginem teterrimam atque horrendam prae se fert exanthema a glutaeis surgens, super dorsum totum luxurians. Ibique crusta cohaerens, sicca, nusquam fere squamosa, undecumque intus chartae bibulae similis, extus tamen aspera, fissa atque fur-

*) Figura citata ad mammae sinistrae epidermidem proprie est referenda, hoc loco tamen ante oculos haberi potest, ob exanthematis formarum in glutaeis observatarum similitudinem, cum illis mammarum.

furacea farinosa decidens, tam continua apparet, ut epidermis a cute solvi facile possit. Forma et colore ergo hae partes morbosae, illis glutaeorum similes sunt. In omnibus vero locis cutaneis, musculorum in adipem transmutatorum strata tegentibus, malum et ortum esse et maxime luxuriari videtur. Hoc certe, ut sectio infra nos docet, in dorso, glutaeis et mammis observamus, quorum musculi pro magna parte in adipem transierant.

§. 18.

In abdominis parte inferiore stratis planis squamosis paullatim evanescens, exanthema lateris dextri, oculis se subducit (Tab. I.), ita vero ut supra a regione hypochondriaca dextra, ex obliquo a regione lumbali ultra umbilicalem, deorsum ad regiones pubis et inguinales, sicut in pudendis externis pilis denudatis atque superficie femorum interna, epidermis exanthemate omnino destituta, rubro tamen erysipelatoso lucide picta appareat, quod ab illo fortasse non pendens maxime Zonae exanthematis igni similis videtur. Et fortasse haec inflammatio, post mortem non manifesta (§. 25.), loco opposito tamen in peritonaeo conspecta, illa e decubitu genita, per consensum contingitur (§. 29.).

§. 19.

Quum in femoris sinistri superficie superiore et interiore, pollices plures infra pudenda, squamulis prorsus irregularibus incubantibus exanthema incipiat, superficie externa in glutaeorum epidermidem penitus dehonestatam transiens, sensim densatur. Supra cristam ossis ilei modo crusta illa crassa et

tan-

tantum non coriacea in strata magis tenuia um il- transit (Tab. II. Fig. 2. A.), cujus ab initio fumpe- parvula intime accumulata, mox planiora et la an- atque irregularia, paullatim secedunt, introrsum ecu- nescunt, supra et seorsum vero iterum collata, fluti ma primitiva tamen non omissa, in epidermide cre- stosa dorsi atque mammarum partem maximam circ cumvelante, se subducunt.

§. 20.

In his igitur foeditatis speciem maxime dete- standam conspicimus; exanthema enim et forma et colore vere proteum refert. Mamma sinistra, in massam adiposam transmutata (§. 26.), rotunda ac satis magna dependet, ita deturpata, ut non nisi pars minima libera plane conspici possit (Tab. I.). Epidermis enim omnimo morbosa, crusta, intus co- actilibus, in superficie externa vero fermento sicca- cato quasi farina viridicante consperso, similis, ex furfurum foliolis densissime compacta, partem in- feriorem obducit, in plicis cutis pluribus finditur (Tab. II. Fig. 4. c. a. b.), ad regionem sternalem iterum densatur (D.), supra vero in squamulas mi- nores copiosas secedens, ad regionem clavicularem in pannos majores squamosos, non pellucidos, et in sublime (d. e.) et introrsum (f.) se evolvit, sub- stantiam internam chartae bibulae similem, cutem- que subtus jacentem crudam, intense rubram nec tamen fissam ubivis prodens (B.), sub axilla (C.) denique delitescit. Circa claviculam exanthema in parvula furfura fusca discedit, deinde ab illa ultra sternum ad mammam dextram migrat, in hac ut in

altera metamorphosin similem passum. Verumtamen hoc loco epidermis ubique quidem affecta minus est crassa et fissa; similis tamen illi mammae sinistrae. Magis depravatur versus dorsum, magis naturalis reperitur infra, foliolis plane squamosis paullatim abiens in locos illos abdominis exanthemate prorsus non affectos (Tab. I.). Quorum color rubicundus in partibus modo depictis sub furfuribus albescentibus languide praelucens, ad mammam ipsam ascendens in his ex viridi albescens flavens infuscatur, praecipue vero circa areolam, sub exanthemate quidem occultam, fuscus, in colli partis, ut videtur, non affectae colorem naturalem transit. Ubi vero panni majores tanquam squamulae plane incubant epidermidi, fundus ille ruber ex intenso albicans languide fulget.

§. 24.

Exanthema a colli parte inferiori, pollices duas supra claviculam, ibi parum manifestum, crescens descendit ad humerum, quem circumdat ex furfurum tenerrimorum acervis minoribus crustam tenuem formans, atque in brachii superficie anteriore, parmeliae musco simile, tam colore quam forma minus ingratum, invenitur. (Tab. I.). Crusta illa tenerrima, coloris pulchri ex viridi cinereo albescentis rubore subtus fulgente variegati, usque ad deltoidei insertionem continua, cuti internae ita adhaeret ut vix dissolvi possit, nisi foliolae superiores minus pulverulentae, quas tollere facilius valemus. Infra deltoideum supra fundum rubicundum furfurum acervi paullatim disperguntur, non

plane evanescentes. Eodem enim tempore cum illis in genu observatis hoc loco papulae erumpebant statimque in furfura transibant. A medio antibrachii epidermis, furfurum acervis iterum accumulatis ac densatis, crusta quasi cortici seu luti siccati strato similis, nec se evolvens, sed extrinsecus modo in pollen farinosum decidens, seu plane exfolians, totam manus superficiem dorsalem circumdat, postquam in illius atque phalangum articulis inprimis fissa et marginibus crassis ac crustosis prorsum atque retrorsum in sublime sublevata est. (Vid. Tab. II. Fig. 4.). Ad ungues curvatos superficiemque manus volarem, in hac vero passim in pannos tenuissimos transiens, exanthema paullatim delitescit.

§. 22.

Latius atque intensius brachii dextri exanthema conspicimus (Tab. I.). Nulla illius pars cutanea hoc destituta apparet. Crusta intus ut supra (§. 20.) tenerior, extrinsecus vero aspera, cortex quasi lutea seu fermento sicco similis, minus squamosa, observatur. Epidermis sic depravata, crassitiei linearum trium, minime cohaeret cum cuti subjacente, ita, ut hanc quasi chirotheca investiens, ubivis, absque doloribus, detrahi facile possit. In articulorum solum flexuris rhagades observamus, quae cutem subtus siccam et rubicundam praelucere sinunt. Ceterum sinistrae omnino similis apparet manus dextra.

§. 23.

Ita vero ex singulis partibus depictis, exanthe-

matis totius imago prodit rara. (Tab. I.). Raram dico, propterea quod illud, sive internam sive externam ejus naturam spectes, ad novum mali cutanei genus referendum videtur. Cui opinioni quatenus locus dandus non sit, ex parte hujus opusculi secunda intelligemus. Repetamus interdum brevi exanthematis notas insignes, ut illius gravitas animo melius inprimatur. Extensionem si spectes, quantum cutis spatium morbus, nulli fere loco parcens, complectitur! Quae exanthemate ipso libera videtur regio, influxu tamen ejus laborat. Sic speciem miram nobis exhibet epidermis pro efflorescentiae intensione. Quantae qualesque figurationes! Papulae limbo rubro modo sensibiles, furfura minima ex illis egredientia, acervi paullatim formati, panni majores squamosi, accumulata illorum congerie strata quasi coactilia, extrinsecus coriacea, eorumque laciniae irregulares, quibus conveniunt particulae minores squamosae, crustosae, farinosae, quae totum fere corpus involvunt atque lectulum copia superflua implent, haec omnia, colorum lusu variegato magis insignia, mirabilem prorsus efficiunt speciem. Nihilo minus sagaciter perscrutanti, et formam primitivam constanter intuenti, illarum formarum, quae videntur penitus diversae, apparet similitudo. —

Sed jam satis de forma exanthematis ipsa disseruimus. Ad ea, quae sectio nobis offert, transgrediamur, deinde illa confirmemus, quae de mali nostri natura jam diximus.

C.

Sectio exanthemate defunctae.

§. 24.

Anatomiae h. l. professore doctissimo *Rudolphio*, viro illustri, praesente, in theatro nostro anatomico cadaver secui. Sed ex sectionibus aliorum exanthemate maligno defunctorum moniti, nil aliud inventuros nos speravimus, nisi ex systemate reproductivo omnino laeso originem ducere malum. Reperimus re vera talia, quaedam simul confirmantia, quae de malorum cutaneorum genesi in universum medici celeberrimi jam dixerunt.

§. 25.

Quod primo ad cadaveris phaenomena externa attinet, animadverto, epidermidem morbosam, post mortem turgore vitali collapso, magis rugosam, arborum cortici muscosae similiorem, multa naturae prioris amisisse. Praecipue mira videtur coloris mutatio, qui ubique fere cinereus subfuscus apparet, variegatus cutis subtus jacentis rubro intenso. Rubor ipse erysipelatosus abdomen tingens plane evanuit, sicut foetor ille horrendus.

§. 26.

Cute sublata ubique fere adipis strata crassa apparebant, praecipue in dorso et glutaeis, quorum musculi maximam partem degenerati erant. Sub his stratis adiposis tela cellulosa, nimia humorum serosorum copia repleta, inveniebatur.

§. 27.

In cavo cerebri partes in eo sitas pathologice

mutatas non vidimus. Ventriculi exiguam humorum copiam continebant. Quoad statum paralyticum, non parum intererat, medullam spinalem diligentius perscrutari; visa est tamen naturalis, arteriis sanguine scatentibus pulcherrime delineata. Ita etiam plexus nervosi majores lateris cujusque similes inter se reperiebantur. Ischiadicus tamen dexter, pone decubitum, locum gangraenosum extensionis pollicis unius habebat. Inflammatio ejus minime superficialis, nervi intimum aggressa erat.

§. 28.

Thorax plures partes morbosas offerebat. Ob vertebrae dorsalis curvaturam, hinc lordosin dicendam, thoracis cavitas dextra brevissima et angustissima, sinistra magis naturalis, amplior tamen visa est. Qua re pulmo sinister magnitudine insignis, naturae optimae; dexter vero minimus atque depravatus deprehensus est, quum tuberculosus, pluribus locis cum pleura in substantiam osseam partim transmutata dense concretus, in medio suo substantiam vomica clausa corruptam haberet. Praeter adipis acervos non exiguos circa vasa magna in mediastino ubique extensos, superficies cordis anterior strato adiposo crasso tecta erat. Cor ipsum non morbosum.

§. 29.

In abdomine curvatura jam commemorata ad organa in eo sita deformanda multum faciebat. Tota cavitas dextra minor facta erat. Tegumento abdominis revoluto, in universum quidem partes plane mutatas non vidimus, prodebant illae tamen

systematis reproductivi malum gravissimum. Coloris pallidi enim atque laxus totus intestinorum tractus apparebat. In regione hypogastrica paries peritonaei intense rubra inflammationem morti proximam indicabat.

Hepar substantiae integrae, formae tamen singularis conspiciebatur. In cavo angustissimo, vertebrae dorsalis curvatura coarctato, illud quadrangulare fere situm est. Distincte prope delineatae superficies quatuor observandae erant, e quarum anteriore substantiae pars magna eminebat, ita ut, ceteris non absentibus, processus singularis haberi deberet. Lobus hepatis sinister parvus apparebat.

Vesica fellea tunicis densissimis formata, valde extensa, atque bile spissa nec non fusca repleta erat.

Lien integer ac magnus; ventriculus parvulus membranis densissimis formatus; sic etiam duodenum, juxtaque hoc pancreas parvulum reperiebatur.

De visceribus extra peritonaeum sitis, quoes substantia incolumes, magnitudine tamen atque forma paene triangulari insignes erant, eis adhaerentes renes succenturiati permagni. Genitalia, et interna et externa, morborum passorum vestigia non exhibebant omnino. Verumtamen uterus collapsus, ligamenta uterina laxa, ovaria vix videnda, vagina remissa, omnia integra quidem, sed quae in vita quoque parum se viguisse testarentur.

§. 30.

Ex chemica analysi a cel. Johnio diligenter instituta, epidermidis morbosae partes constitutivas sequentes cognoscimus. Erant enim in illa:

albuminis indurati	92—93 partes
muci evaporatione non solubilis }	6— 7 —
muci gelatinosi	
acidi lactei et salium mediorum	
ex eo compositorum	1 — —
praeterea adhaerebat illis	
adipis . . . . $\frac{1}{4}$	1 — —
	100 partes

Salium fixorum in epidermide solummodo adest pars ducentesima, cujus triens constat ex calce phosphorica cum particula kali sulphurici, muriatici ac phosphorici.

Sic vero epidermis morbosa in analysi chemica a sana praecipue muci gelatinosi adipisque adhaerentis copia majori distinguitur.

II.

Character exanthematis.

A.

Ex principiis nosologicis.

§. 31.

Principia illa a Sauvagesio in hujus viri illustr. introductione ad nosologiam methodicam egregie posita diligentissime contemplans, multum dubito, quisnam locus in illa nostro exanthemati sit designandus. Adestne systema perfecte constitutum atque ab omnibus agnitum? Num in promptu habe-

mus dividendi fundamenta firma secundum quorum indicium cutis efflorescentias illi subordinare liceat? Hujus rei optabilis desiderium jam ex recentioribus de malis cutaneis scriptoribus observamus. Nonne nuperrime modo discrimen inter exanthemata atque impetigines semper laudatum repudiantes, praeter rem genera disjunxerunt multi, quae sibi invicem convenientia, species solummodo varias repraesentare videntur? [1]) (§. 34.) Fontem vero hujus erroris situm in eo, quod exanthemata ex antiquissimis temporibus non per totum suum decursum sed in uno alterove stadio a pathologis nosologice solita sunt considerari, *Willanius* [2]) ipse et *Tilesius* [3]) jam demonstrarunt. Hoc quoque non raro fortasse a multis neglectum est, quod dubio caret: exanthema plerumque simplex observatum, rebus externis influentibus, varietatem quidem manere, sed ad tantum intensionis atque extensionis gradum mutari posse, quanto alia genera rariora censeri solent. Nonne ex hoc fonte derivandus est veterum error qui herpetis notionem strictiorem haberent, aliorum verum exanthematum agmina illi adnumeranda, tanquam genera propria nominibus variis designarent? Ita quidem innocentis mali nomine plerumque gaudebant herpetis species, dum unusquisque exanthematis sub nomine leprae, hujus mali personam certo modo prae se ferentis,

1) *Willanius* et *Batemannus* l. c.

2) l. c. pag. 2 et 3.

3) l. c. pag. 15.

devastationes incusabat. Demonstrabit hoc fortasse disquisitio nostra in paragraphis sequentibus exhibita. Natura efflorescentiarum interna, ut omnium quidem morborum causa proxima, non satis cognita, in nostri definitione intenta, illius formas, pro stadiis et corporis regionibus diversis, considerans, principium observare mihi proposui: donec in uno eodemque individuo transitum exanthematis formae unius in alteram prosequi valemus, varietatibus mirabilissimis ipsis conspectis, mala plura, pro natura interna, diversa, non accipienda esse. Efflorescentiae nostrae phaenomena analogice ex dermapathologorum celebrium definitionibus aestimare, curae mihi erit, qua re etiam, quae ob similitudinem cum illa commutari facile possint exanthemata, in medium proferre, utile credidi.

a.

De genere exanthematis.

§. 32.

Quum in exanthematibus chronicis nosologice ordinandis, de configurationis stadiis solummodo, minime vero simul, ut in acutis de febre illam comitante agi possit, nunc etiam cutis phaenomena solum, nec vero statum universalem aegrotae considerabimus. Lepra pluresque impetigines illi similes saepissime quidem phaenomenis vehementissimis decurrunt, haec vero essentialia non habenda, ab aliis etiam exanthematibus, altiori vehementiae gra-

du insignibus, exhiberi possunt, ut hocce casu edocemur.

Proxime mali nostri formam primitivam consideramus:

1) Indicat exanthema pruritus gravis jam ex longo tempore crucians (§. 8. et 10.)
2) Tunc apparet efflorescentia ipsa, cujus symptomata essentialia sunt (§. 10. 14. 21.):
   a. fundus latus, subtumescens, rubicundus (area) (Tab. II. Fig. 1. A. a.)
   b. papulae ab initio morbi magis perspicuae, (§. 10.) nunc (§. 14.) vero etiam oculo armato perspiciendae, in acervos congestae, limbo rubro succinctae (Tab. II. Fig. 1. B.)
   c. pruritus prius gravissimus, postea mitior (§. 11.)
3) Papulae, ut videtur, siccae transeunt in furfura farinosa, ex quorum compositione varia formae variae prodeunt (§. 10. 14. 21. etc.)

§. 33.

Considerans, hos characteres non singulos, sed omnes simul repertos esse, atque ab origine mali usque ad mortem aegrae perseverasse, ratione formarum, quae in stadio desquamationis ultimo tam variae observantur, non habita, minime haesito, exanthema jam descriptum ad *herpetum* genus referendum esse.

Confirmant hanc definitionem auctores sequentes:

1. *Tilesius* characteres supra (§. 32.) collatos

pro notis essentialibus herpetum accipit. [1]) Ad hoc confirmandum affert *Wichmanni* descriptionem crustae serpiginosae, quae serpigini s. herpeti simillima est. [2]) Papulae per se non sunt essentiales, pro illis etiam vesiculae aream occupare possunt; sed collatio in congeriem atque pruritus characteristica sunt symptomata.

2. *Sauvagesius* [3]) simili modo describit herpetem: „est papularum congeries seu efflorescentia ex tumoribus exiguis rubris aggregatis, pruriginosis, in squamas furfuraceas, raro crustaceas abeuntibus."

3. *Lorrius* [4]) consentit huic definitioni, declarans simul, vesiculas saepissime occultas esse. Dicit enim de herpete simplice s. furfuraceo: [5]) „Haec mala si oculis mediocri vitro armatis inspicias, congeriem videbis pustularum minimarum laticem glutinosum exhalantium, qui brevi siccatus abit in terram albam furfuraceam." Alio loco: [6]) „pluries, inquit, in praxi medica videmus quod — — — erumpunt herpetes, non illorum e genere qui fluunt et vicina corrodunt, sed pruriginosis squamis epidermidem elevantes et totidem minimis pustulis scatentes, a quibus armatus vitris fortibus oculus stillare videret humoris guttulas." Confer huc ab *Aliberto* dicta (vide No. 8.)

1) l. c. pag. 39. 40. 41.
2) *Wichmann* l. c. pag. 51.
3) l. c. pag. 132. Cl. 1. Ord. 2.
4) Tract. de morbis cutaneis (1777) pag. 299.
5) l. c. pag. 97. 98. 6) l. c. pag. 39.

4. *Poupartius* [1]) non aliter depingit exanthema, dicens: „herpetes apparent ut maculae magnae rubrae subtumidae, in illis papulae parvulae, in quarum medio spatia exanthemate non affecta conspiciuntur" etc. etc.

Recentiorum auctorum optime describunt herpetem:

5. *Hufelandius* [2]) cujus definitio omnes herpetis species complectitur.

6. *Sprengelius* [3]) consentit huic, verumtamen cum

7. *Petr. Frankio* [4]) humorum exsudationem (exulcerationem quasi) pro charactere essentiali habet. Nonne fortasse hanc, oculis vitro armatis, momento temporis recte observato, semper detegere possémus, sicut *Lorrius* jam commemorat? Nonne ex hac causa derivanda sint formae variae herpetis sicci (vulgo dicti), cujus formationis vicissitudo, sine humorum exsudatione vix comprehendi potest. Considerandum est quod de hac re dicitur.

8. *Alibertus*, [5]) qui optimam herpetis defini-

---

1) Abhandlung von den Flechten, a. d. Franz. v. J. *Conrad.* (Strasburg 1784) p. 66.

2) System der prakt. Heilkunde. Bd. II. Abth. 2.

3) Handbuch der Pathologie. Bd. III. p. 61.

4) Epitome. Lib. IV. Ord. II. Genus II.

5) Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. Paris 1810 pag. 203. „Certains auteurs la (dartre furfuracée) désignent dans leurs ouvrages sous le titre de dartre sèche, parceque les petits boutons qui lui don-

tionem nobis offert.[1]) Papulas saepissime etiam oculo armato solummodo vidit.[2])

§. 34.

Diverso modo de his definitionibus decedunt multae veterum atque auctorum recentiorum, qui saepissime, secundum praecepta systematis artificialis, notas singulas ad exanthemata designanda exhibuerunt. Sic etiam a *Willanio*[3]) et *Batemanno*[4]) herpes, e classe papularum rejicitur adque vesiculas refertur, quasi hae solae generis characterem constituere possint. Quanta confusio ex hoc errore gignatur, sequentia docent. Animadvertitur interdum ex illa disjunctione sicut ex commutatione herpetum cum lichenibus, quam difficile sit, nostri exanthematis locum in nosologia determinare. Jam *Tilesius* disjunctionis illius incommoda demonstrat, quae ex eo quoque cognoscuntur, quod *Willanius*, et deinde *Batemannus*, sub lichenum, strophuli vel psoriasis nomine, ex maxima parte herpetis species descripserunt. Eandem divisionis rationem alii auctores secuti, herpetem etiam ut impetiginem,[5])

---

nent naissance ne fournissent en apparence aucun fluide. On s'apperçoit néanmoins d'une exsudation très sensible, lorsqu'on l'observe très attentivement dès son origine."

---

1) l. c. pag. 190 — 97.

2) l. c. pag. 203.

3) l. c. pag. VIII. Ord. IV.

4) l. c. pag 218. Ord. VI.

5) Vogel de cognosc. et cur. hom. affect.

psoram, [1]) strophulum ac lichenem [2]) depingunt. Videas quae *Tilesius* [3]) de hac re optime disseruit, animadvertens simul, herpetem jam a veteribus saepissime commutatum esse cum aliis exanthematibus. Exempla singula modo affero ex Foësio (Oeconom. Hippocr.) „λειχὴν est summae cutis vitium, ut ψώρα et λέπρα cum asperitate et levi pruritu, deterius quidem pruritu, psora autem et lepra levius.“ Ita etiam „τὰ λειχηνώδεα ἐξαιρόμενα, lichenes tuberosi, turgescentes et in tumorem sublati, hoc est cum pustulis et papulis dicuntur.“ (Lib. 4. Epidem.) Ejusdem naturae herpeticae etiam *rubra*, a Celso descripta, [4]) esse videtur.

b.

De specie exanthematis.

§. 35.

Hoc loco quum non de herpetibus in universum, sed de exemplo singulo, respectu partitionis nosologicae, sermo sit, loca pathologorum illa collata, ad genus designandum, sufficient. Plura *Tilesius* de commutationibus herpetum cum aliis generibus dixit in libro suo jam adlato, quare nunc de exanthemate nostro ut specie disserere mihi licebit.

---

1) Lomnius in observ. med. 2.

2) Plenk de morb. cutan. Lorry l. c. pag. 242.

3) l. c. pag. 23.

4) De medicina Lib. 5. cap. 28. §. 18.

Quisnam efflorescentiae adspectu primo vel etiam repetito, hac, in uno eodemque individuo, eodem tempore, species plures repraesentari, quod quidem fieri possit, opinari non inclinetur? siquidem nec genera plura in illa agnoscere valemus, nec vero species varias, sed varietates unius, diversis illis formis expressae. Harum mutationes vero, nostro in individuo praecipue pendent e mali gradu, simulque e corporis regionibus illo deturpatis. Donec epidermis cum reticulo Malpighii cuti intime adhaereret, exanthema nostrum, ad leges sibi convenientes, germinabat atque crescebat, quare his locis desquamatio furfuracea simplex insignitur (§. 14. 21.) Simulac vero, conjunctione illa, ut in dorso et mammis, dissoluta, epidermis malo dehonestata, mechanico corpori similis, rerum externarum, aëris, frigoris etc. influxui chemico et physico, viribus internis minime repugnantibus, subjecta esset, exanthematis nostri forma maxime varia atque irregularis apparet (§. 17. 22. 23.) Inter hos duos status formae primitivae decessus in paragraphis sequentibus adhuc describendi plures adsunt.

§. 36.

Quum exanthematis nostri initium papulae indicaverint, eaedemque, quamvis parum manifestae, usque ad ultimum morbi stadium conspectae sint, in hac re mox divisionis fundamentum logicum agnoscimus, ita, ut herpetem papulosum, plerumque siccum, a herpete phlyctaenoide (phlyctaenis s. vesi-

culis

culis egrediente) [1]), distinguere debeamus. Hanc vero distinctionem physiologice ac pathologice demonstrandam esse bene et uberrime exposuit *Tilesius;* quare species illas, quibus adhuc herpes phagedaenicus, ob ulcera eum formantia, tanquam species tertia accedit, in nosologiam illatas comprobarem. Et invenimus hanc divisionem apud plurimos scriptores, quamvis nec plane nec perspicue pronuntiatam. Nec tamen *herpes papulosus* semper siccus est existimandus; siccitas enim non essentialis ejus character est. E contrario putare convenit exsudationes insensibiles affuisse, ut supra jam diximus.

§. 37.

Herpes papulosus quum plures sibi subjectas habeat species, nos vero his determinandis, causas pathologicas vel physiologicas non habeamus, illas ex formis solummodo variis deprehendere nobis licet; sicut *Alibertus*, his tantum spectatis, species frequentes enumerat.

Repetamus ergo brevi desquamationis formas varias, quo earum primitivam melius cognoscamus.

Proxime inclinationem animadvertimus ad desquamationem furfuraceam in extremitatibus inferioribus. (§. 14.)

Clarior haec apparet papulas sequens, quae vix visae abeunt in furfura levia, quibus *herpetem furfuraceum volitantem* instructum depingit *Alibertus* [2]). Haec corpuscula congeruntur in medio in

---

1) l. c. pag. 33.
2) l. c. pag. 201.

acervulos; crustamque muscosam formant. Quae formatio tamen, nonne a virus herpetici vi praeeminente dependeat, cum hoc epidermidem cum cuti adhuc cohaerentem praecipue aggredi potuerit? In omnibus vero stratis crustosis, ut videntur, furfura superposita conspiciuntur.

Squamosam exfoliationem deprehendimus praecipue in superficie anteriore femorum atque abdominis lateribus, similem illi qua stipatur secundum *Alibertum*, [1]) *herpes squamosus* [2]) *lichenoides*. Sed haec species, ut Alib. ipse dicit, [3]) paululum modo differt a furfuraceo, ita ut res accidentales: vestium fricatio, manuum tactus frequens etc., quin furfura natura sibi conveniente accumularentur, impedire, atque extensioni latiori favere facile potuissent.

E furfuribus ad latitudinem atque crassitudinem accumulatis, coactilium quasi extrinsecus crustosorum forma prodit, quam in dorso, manuus, praecipue in brachio dextro observamus. Epidermidem tam degeneratam secantes, furfura illam conformantia detegimus, sicut formas primitivas quasi in crystallis. Quam facile vero res externae influentes formas mutare possint, ex illo cognoscimus, quod in brachio dextro macro, ubi ob musculos tenues adipis-

---

1) l. c. pag. 217

2) Squamosus, magis pannosus dicendum. Secundum *Willanium* et *Batemannum* squamae sunt crassiores atque formae magis regularis.

3) l. c. pag. 219.

que strata exigua, plicae cutaneae eaque re rhagades in epidermide morbosa non observabantur, haec ipsa extrinsecus magis regularis videtur quam in mammis, glutaeis ac dorso, quarum partium structura. plicae multae cutaneae, adipis strata crassiora, adipisque formatio ipsa fortasse, ad exanthematis formam primitivam mutandam, ita simul illis locis, pannis se evolventibus, rhagadibus crustosis etc. etc. manifestatam, multum conferebant. Praecipue autem conjunctione cutis cum epidermide dissoluta, mutationi subjectae erant formae, uti jam commemoravimus supra (§. 35.). Quare certo margines in manuum articulis maxime crustosi, utque in omnibus fere plicis cutaneis, aëris influxui magis expositis.

§. 38.

Quia porro, analysis ratione, desquamationem furfuraceam farinosam, ut formam primitivam in omnibus exfoliationibus epidermidis morbosae demonstrare, eoque magis confirmare possumus, quo minus transitus unius formae in alteram distincte terminatus est, sed paullatim fit, propius jam ad exanthematis nostri speciem illustrandam accedentes, non dubitamus, quin ille sit: *herpes furfuraceus s. farinosus* vulgo dictus. Quoniam vero ea est et extensione et intensione, quae varietatem gravem constituat vulgati illius, characterem ejus nomine: *herpetis furfuracei universalis maligni*, indito designabimus. *Siccum* eundem nominaremus, si exanthema nostrum humorem nullo modo exsudare compertum haberemus. — Nonne fieri

potuisset, laticem exsudatum, furfura insensibili modo subito formantem simul partim in vaporem, ex foetore illo teterrimo agnitum, transmutatum esse? Nam observamus omnino herpetem furfuraceum non minus humidum quam siccum, ut paragraphus sequens nos docet.

§. 39.

Non spectantes quidem, nobis de varietate *herpetis furfuracei* rara sermonem esse, hujus characterem scriptorum multorum auctoritate magis confirmatum invenimus:

1. *Lorrius*, [1]) de furfurum ordine disserens, herpetem furfuraceum simplicem s. farinosum, characteribus a nobis collatis describit, ejusque commutationem cum lichenibus atque porrigine saepissime observatam commemorat.

2. *Sauvagesius* [2]) herpetem farinosum etiam depingit siccum [3]) (dartre séche), dicens siccitatis causam: „principium est materies aëris perspirabilis retenta et mora acrior facta in cryptis s. glandulis sebaceis."

3. *Poupartius* [4]) non aliter eum describit, afferens simul, illum a *Plinio* et *Hippocrate* cum lichenibus saepe mutatum esse.

4. *Hufelandius* [5]) siccum et ipse nominat.

1) l. c. pag. 97. 98. 316.

2) l. c. p. 132.

3) Herpeti sicco similem depingit S. herpetem serpiginem.

4) l. c. pag. 5 et 6.

5) l. c. pag. 179.

5. *Frankius* [1]) tamen humorum exsudationem essentialem existimare videtur, dicens: „quas (squamas) latens sub eisdem superficiale ac urens ulcusculum mox abjicit, mox renovat; donec lento hoc ipsum decursu siccescat ac in lemas, furfures et albescentes quasi farinas fatiscat etc."

6. *Alibertus* [2]) nostro simillimum depingit *herpetem furfuraceum volitantem.* Secundum ejus definitionem symptomata haec sunt: Panni facile se evolventes decidunt dispersi in lectulo jacentes; exanthema celerrime atque supra totum corpus extenditur, apparet siccum et humidum, leve et malignum; papulae saepissime oculo armato solum conspiciuntur. Hic herpes etiam formas plures accipit, [3]) non raro hae mutantur in squamosum. Exempla ad definitionem confirmandam adlata [4]) nostro plerumque conveniunt.

Quam difficile sit, secundum *Willanium* et *Batemannum* herpetis speciei characterem explorari, etiam inde apparet, quod illi auctores herpe-

1) l. c. pag. 140.

2) l. c. pag. 202 et seq.

3) ibidem: „La dartre dont il s'agit, prend du reste, différentes formes à mesure qu'elle se développe dans l'économie animale. Tantôt la cuticule se resout en farine de couleur très blanche, èparçe çà et là sur les tegumens; d'autres fois (et c'est alors qu'elle a plus d'intensité) elle se dessine sur le derme en plaques rondes ou orbiculaires, dont les bords sont âpres, rudes et preéminens etc.

4) l. c. §. CXCIII. observation 1re, 3ième, 4ième et 5ième.

tem papulosum, atque adeo etiam furfuraceum, ex genere herpetum excluserunt atque in classem lichenum, strophuli atque impetiginis transtulerunt. Quum extra opusculi nostri fines situm sit, omnia exanthemata ab illis atque veteribus scriptoribus descripta, nostro tamen similia, in medium proferre et inter se comparare, gravissima modo exhibere volo. Intelligemus ex hac comparatione quam facile herpes fortuito variegatus non agnosci atque pro aliis efflorescentiis haberi possit.

c.

Exanthemata alia, tanquam synonyma descripti consideranda.

§. 40.

Ut *herpes rodens* ἐσθιόμενος (dartre vive) a *Lorrio* [1]) describitur herpetis species nostrae similis, his symptomatibus: „rapiditas, qua exanthema aream occupatam extendit et in loca etiam dissita fertur eo impetu, ut possit universam superficiem rhagadibus, fissuris, asperitatibus, adeoque polline acri dehonestare — limbus etiam extenditur.“ Alio loco dicitur: „differt a H. miliari, quod evidentes papulas non profert, a H. phagedaenico s. phlyctaenoide, quod non intima cutis inurat et ulceris crustosi formam non proferat. Ubi ergo proserpit celerius quam natura simplicis herpetis postulare videtur, ad hoc genus secundum referetur herpes.“

---

1) l. c. pag. 307 et 308.

Sic plura invenimus symptomata nostro exanthemati consentientia, quae tamen ab illis sunt distinguenda, quibus *Frankius* [1]) et *Alibertus* [2]) designant *H. rodentem*.

§. 41.

Sub forma *lichenis simplicis et agrii* depingunt exanthema nostrum plerumque *Lorrius*, *Willanius*, atque secundum hunc *Batemannus*.

Jam in universum *Lorrius* [3]) de lichenibus ad Manardum: „lichenes, ait, ad papulas referendi sunt quae nunquam ulcerantur, sed in farinam s. furfur leve abeant vere lichenosum, uti eruptiones a Gallis dictae dartres farineuses." Clarius alio loco: „asperitas summae cutis in lemas tenues foliolorum divisae — aliunde siccus semper est lichen et aridus."

Willanius [4]) simili modo characteres inducit secundum Danielum „cutis non indurans asperitas, modice ad limbos saepe rubellos pruriens, epidermidem in foliola convertens" postquam papularum eruptionem antea jam essentialem dixerat. Ut varietates [5]) hi lichenes per multos menses perseverant saepe, apparent in locis variis varii, et secundum auctores Graecos facillime in lichenes siccos (Dry Tetter), psoram inveteratam seu efflorescentias leprae simillimas mutantur.

---

1) l. c. pag. 142.
2) l. c. pag. 313.
3) l. c. pag. 243.
4) l. c. pag. 27.
5) ibidem.

Batemannus [1]) etiam contendit lichenem agrium, ad veterum observationes, saepissime transire in psoriasin, quam infra nostro exanthemati anologam inveniemus. Omnino *Batemannus* in theoria sua *Willanium* sequitur, qui suam saepissime in veterum auctoritate posuit. (Vide de hac re scripta ab illis ipsis exempla collata).

§. 42.

Ut *psoriasis inveterata* nostrum exanthema depingitur a *Willanio* [2]) et *Batemanno*. [3]) Psoriasis nomine distinguunt veterum psoram leprosam [4]) (Dry or scaly tetter) a scabie humida simplici. [5])

Willanii operum translator jam adnotat: [6]) psoriasin sub genere proprio inductam, secundum *Tilesium*, nil aliud nisi speciem herpetis esse. Sequor vero hanc opinionem ex illis characteribus, quos psoriasis inveteratae essentiales declarat *Willanius*. [7]) Sunt enim:

Status ubique fere squamosus (pannosus proprie dicendus); cutis sicca atque crassa; maculae

1) l. c. pag. 12.
2) l. c. pag. 126.
3) l. c. pag. 41.
4) Ψωρα ἑλκωδης Galen. introduct. et de diff. puls. 4. 1. Aët. Tetr. 4. 1. §. 126. 127.
5) Ψωρα τραχυτερα, λεπρωδης, τυλωμενη vid. Aët. Tetr. 4. 1. Galen. de Med. fac. Lib. II. et Comment. in Lib. VI. Epidem. et Aphorism. 77. Lib. 4. Oribasii synops. 7. 8. Paul. Aeginet. 4. 2. Actuar. Method. 1. 2. 3.
6) *Willanius* l. c. p. 112. Nota.
7) l. c. pag. 126.

singulae confluunt in majores, totum denique corpus occupant; facies ut manuum superficies volares malo destitutae; desquamatio celerrima, ita ut panni saepissime in lectulo dispersi jaceant; pruritus; ungues mutati; abdominis epidermis rubra et rigida; hoc loco nullae crustae crassae, squamae solummodo, subpellucidae formantur, quae in pannos majores decidunt atque epidermidis perniciem graviorem adducunt; extremitates saepissime malo denudatae; epidermis frequentissime mutata, denique transit paullatim in texturam siccam asperam, pilosam fere; saepissime apud aetate provectiores invenitur.

Huic exanthemati simillima est *psoriasis diffusa*, quae ipsa in inveteratam transire potest. [1]) Localis saepissime apud pistores Anglicos in dorso manuum reperitur. [2]) Vel feminas lavantes non raro aggreditur malum, nostro partibus squamosis simillimum (§. 15. 19.). [3])

Prurigo senilis saepissime etiam transit in psoriasin inveteratam. [4])

Similitudo vero mali nostri cum psora inveterata, magis elucet ex veterum comparationibus hujus exanthematis cum lepra, quarum gravissimas hinc exhibeo:

---

1) *Willanius* l. c. pag. 126. 128.

2) ibidem *Baker's* Itch.

3) ibidem et Tab. XII. Fig. 2.

4) *Willanius* l. c. pag. 128 ut Hippocr. Epidem. Lib. V. Hoffmann. Tom. III. pag. 490.

Actuarius [1]) animadvertit: „leviorem esse lepram elephantiasi, minus gravem psoram, levissimos vero lichenes. Lepra profunde laedit, psora tamen magis superficialis in corpuscula furfuracea modo secedit.“ (Idem dicit Oribas. in synops. Lib. VII. C. 48.)

Archigenes et *Aëtius* [2]) negant distinctionem vix adlatam, eamque in eo vere ponunt: „quod lepra squamas majores, psora contra substantiam modo furfuraceam in epidermide gignat.“

Paulus Aegineta [3]) eandem ponit distinctionem his verbis: „scabies autem magis in superficie haeret et varie figurata est et furfuracea corpuscula remittit.“ Tunc dicit etiam, impetigines (λειχῆνας) facillime in scabiem et lepram transire.

Oribasius [4]) confundit prorsus impetiginem cum scabie et psora.

Arabes [5]) etiam sub forma *Usagrinis* (impetiginis) comprehendunt lichenem, psoram et lepram Graecorum, quae certo saepissime pro herpete habita, usagrini ut species optime subordinata esse videtur.

Lorrius [6]) cum Aëtio et Archigene ipso dicit: „scabies vere a scabendo seu scalpendo dicta, ad

---

1) Med. sive de methodo medendi. Lib. II. Cap. XI.

2) Aëtius Tetrabibl. IV. 1. §. 134.

3) De re med. Lib. IV. Cap. 2.

4) Synopsis Lib. VII. Cap. 8. et seq.

5) *Willan.* l. c. pag. 113.

6) l. c. pag. 224.

omnes pruriginosos affectus pertinet non pustulosos, sed papulis asperos etc. etc.

Sic etiam alii auctores psoram et impetiginem descripserunt, ut *Manardus*, *Fernelius*, *Sennertus*, *Willis*, *Lomnius*. (Vide de hac re *Willanium* [1]).

Prae ceteris perpendere debemus quod *Willisius* de psoriasi dixit [2]).

§. 43.

Pityriasis rubra a *Batemanno* [3]) descripta speciem efflorescentiae nostrae non minus similem habet. Jam ex *Willanio* [4]) intelligimus, nos pityriasin, quatenus corpus totum aggredi possit, a porrigine furfuracea distinguendam, ratione formae, herpetem dicere posse. Huic consentit veterum praecipue *Pauli Aeginetae* [5]) et *Alex. Tralliani* [6]) definitio de pityriasi in universum. Praecipue tamen *Batemanni* [7]) P. rubra herpeti furfuraceo appropinquat, uti Rubra Celsi [8]). Ne *Pet. Frankii* [9]) quidem definitio de porrigine nobis tradita, ex hac herpetem nostrum prorsus excludere videtur.

---

1) l. c. pag. 113.
2) de medicam. operat. Cap. 7. Sect. 3.
3) l. c. pag. 45.
4) l. c. pag. 138.
5) conf. III. 3.
6) conf. I. 1. 4.
7) l. c. pag. 45.
8) l. c. V. 27. 17.
9) l. c. pag. 129. *Alibert.* l. c. pag. 311 et 312.

§. 44.

Lepra squamosa s. Graecorum. Quum herpetis natura prope accedit ad illam leprae [1]) atque a multis auctoribus [2]) una eademque habeatur, mirum non videtur, utrumque genus, propter formas suas non raro inter se similes, a plurimis non modo agnita, sed etiam commutata esse [3]), praecipue in plagis meridianis, ubi exanthemata simplicia climatis influxu tantum malignitatis gradum consequi possunt, quanto lepra solummodo gloriari solet. Nostrum vero exanthema lepram non esse, ex illo quod de genere ejusdem diximus, dijudicare valemus. Quam facile vero haec genera commutari possint, nunc paucis comparandis demonstrare ad nos attinet.

Symptomata gravissima, leprae plerumque propria, in nostro exanthemate reperiuntur sequentia:

1. Extensio atque intensio magna. Furfura ad formas illis leprae squamosis simillimas se congregantia (§. 25.)

1) *Hufeland* l. c. pag. 180.

2) Selle medicina clin. pag. 272. „Lepra ist eine Art feuchter Krätze oder vielmehr Flechte etc. Die Natur des Ausschlags scheint flechtenartig oder herpetisch zu seyn.“ *Lorry* l. c. p. 366.

3) *Alibert* description des maladies de la peau etc. pag. 121 et seq. *Frank* l. c. pag. 206. 223. *Poupart* l. c. pag. 4 et 5. haberet etiam lepram veterum tanquam herpetis gradum maximum. *Lorrius* l. c. pag. 368 commemorat, secundum virorum doctorum observationes, herpetem pessimi generis apud Caraibes in lepram transire.

2. Pilorum decessus (§. 12.), leprae signum characteristicum dictum [1]).
3. Status morbosus universalis exanthema comitans. Paralysis gradus maximus, praecipue diebus vitae postremis, sicut cutis anaesthesia. (§. 12.) Phaenomena nervosa in stadio morbi ultimo, sudores foetidi, jam ex longo tempore observati. Virium prostratio.

Quae phaenomena, non raro tanquam signa characteristica leprae attribuuntur, nostri autem exanthematis ita obscurant diagnosin, ut, nisi omnia stadia simul contemplemur, hoc pro illa habere, facile inducamur. Diagnosis vero nostra supra jam exhibita, stabilitur sequentibus:

1. Jam ex §. 42. vidimus, minus distincte veteres lepram a psora discrevisse, atque adeo saepe has inter sese commutaverint. Nonne vero corpuscula furfuracea illa psorae ad strata crassiora condensari, ita simul leprae formam repraesentare possint, praesertim quum leprae squamae majores rotundae, characteristicae dicantur, quamquam illas etiam herpes furfuraceus circinatus [2]) notas essentiales agnoscit, lepra contra saepissime etiam in latitudinem extenditur?

Secundum veterum exemplum *Lorrius* lepram squamosam dicit malum psoricum, verbis additis his: „psora vero leprae aditum sternit morbis congeneribus et solo gradu diversis."

---

1) *Alibert* descript. pag. 126.

2) *Alibert.* prècis etc. pag 202.

Secundum *A. Vogelium* lepra etiam psorae s. impetigini aut simillima aut hujus species est [1]).

Celsus non minus papularum, lichenum, leprae et impetiginum notiones confundit, quod optime demonstrat, quam similia sint genera illa [2]).

Confirmat similitudinem magis

2. *Frankii* [3]) descriptio leprae squamosae, dum ille dicit, mali hujus diagnosin difficulter discerni a psora inveterata; nullum esse signum in lepra Graecorum constans observatum. Hujus exanthematis imago tunc ab illo depicta nostrae maxime congruit. Exempli causa hoc tantum affero: „quae (crustae pertinaces) ac in piscium *quasi* squamas majores, rotundas siccas, copiosas, *vel et* corticum testarumque, quasi nive aut farina conspersarum a cute subtus aut cruda, rubente etc. etc. resolvuntur etc."

3. *Willanius* [4]) attribuit leprae vulgari multa signa, nostro malo convenientia. In nota [5]) quadam editor illius operis confert descriptionem a *Willisio* de lepra adlatam his verbis: „Impetigo ad hunc modum exoriri, et afficere solet, inprimis papulae, sive pustulae rubrae modo singulares, modo *plures congestae* in variis corporis partibus etc. serpunt molecularum aggerie accumulante, superficie

1) l. c. pag. 366.
2) *Willan.* l. c. pag. 92.
3) l. c. pag. 223.
4) l. c. pag. 85.
5) l. c. pag. 89.

aspera nonnihil albida et squamosa, squamae decidunt, papularum corymbi primo exigui et pauciores, denique latius serpentes totum corpus vitiligine leprosa obducunt." —

4. *Alibertus*[1] praecipue respicit similitudinem illorum exanthematum inter se.

5. In dissertatione de lepra squamosa a *Bonordenio* (Halae 1795) exhibita, haec omnibus fere signis nostri exanthematis describitur, atque exemplo novissimo illustratur, quod minime a nostro distingui potest. Essentialia ejus huc adducenda erunt:

„Odor teterrimus hircinus fere non tolerandus cum sudoribus profusis — defluxus pilorum, totus superficie corporis ambitus laetissime rubebat, ex toto corporis ambitu squamarum albidarum aut flavido-cinericarum, crassarum innumera fere copia decidebat, furfura squamosa, nulla exulceratio, nullus tumor, membra immobilia unguis incrassati, somnus inquietus, *porrigo* signat eruptionem hujus morbi, nonnunquam exitu ulcera maligna accedunt."

Quum ex his ac descriptione omnino pauca quidem de origine mali deque decursu per omnia stadia comperuimus, illum herpetem proprie fuisse, opinari tamen nobis licet.

---

1) l. c. pag. 314.

B.

Character exanthematis e principiis causalibus.

§. 45.

Quum exanthematum divisio nosologica signis externis nitatur, horum tamen varietas a varia causae proximae natura pendeat, ex illa quidem divisione, ratione formarum habita vel curam therapeuticam non raro indicante, fructus praxi utilissimos carpere valemus; graviores tamen nobis producit partitio causalis, in cognitione causarum remotarum posita, quae modo indicationes speciales offert. Ratio causarum bene habita saepissime jam confirmaverit partitionem nosologicam, ita ut veteres quoque herpetem cum lepra minus confudissent. Nonne saepissime sane herpes phaenomenis leprae aliter modo convenientibus stipatus, hujus speciem simulaverat? Systematis cutanei consensu cum ceteris organismi respecto difficile est distinguere, phaenomena pathologica utrum idiopathica an sympathica sint? Quam facile causa cum effectu mutari possit, notum est. Cognoscimus haec ex eo, de quo tractamus. Exanthema teterrimum utrum e systemate reproductivo pathologice plane affecto prodierat, an hujus status morbosus illud tanquam causam gravissimam incusat? Respondeatur huic quaestioni, qua cum altera haec conjungatur, num responsum dari possit? Conemur, repetentes gravissima

sima ex morbi historia sub Litt. B. prolata, comparantes haec cum illis, quae sectio anatomica indicavit, atque observantes diligenter exanthematis formationem in universum.

§. 46.

Aegrotae nostrae status morbosos diversos iterum considerantes, ex morbis primis in pueritia jam toleratis §. 7. dispositionem (psoricam) ad mala cutanea, et haereditariam [1]) et rebus aliis occasionalibus paullatim evolutam, detegimus. Scabiei, capitis impetiginum et odontalgiae accessus frequentissimi, vel exsudationes anomalae, tanquam signa dispositionis gravissimae iniqua apparebant.

§. 47.

Fortasse munera in fabrica sericaria aegrotae nostrae injuncta §. 8., pannorum rebus acribus imbutorum, tinctorum, sericorum tractatio, dispositioni illi favebant [2]). Hanc certe constitutio plethorica inique ac celeriter se evolvens continuo comitabatur, ita ut sanguinis copia nimia, irritamentum non exiguum, systema cutaneum jam debilitatum incitare eoque magis efflorescentias elicere deberet [3]). His notitiis accedunt temperamenti sangui-

---

1) Vid. *Hufeland* l. c. Bd. II. pag. 10. de dispositione psorica. *Lorry* l. c. pag. 71.

2) *Lorry* l. c. p. 66. 68. *Frank* l. c. pag. 149. *Alibert* l. c. pag. 332.

3) *Frank* l. c. pag. 39. 41. *Lorry* l. c. pag. 48. vel dicens: „ipsius a coitu abstinentiae severaeque castitatis, si

nei cholerici phaenomena saepissime observata, quae non raro cum exanthemate simul apparentia, minus causae quam coëffectus aliarum illa constituentium conditionum, existimanda sunt; quamvis negari non potest, animi pathemata in producendis efflorescentiis vim maximam habere [1]). Praecipue functioni cutis jam laesae consentanei, affectus rheumatici totum corpus aggrediebantur. Fortasse ex hoc fonte derivanda est febris intermittens pertinax, hancque mox secuta febris nervosa; quos tamen morbos etiam ab exanthemate repulso deducere minime alienum est ab experientia [2]). Cutis tamen vitium inprimis e pruritu atque exsudationibus [3]) cognoscimus. Eodem tempore urget plethorae status, ita ut venaesectiones saepe repetitae haemoptysis impetus frequentes vix repellere valeant. — Vitae anno decimo quarto, in aegrota nostra exanthema novum apparens, herpetis characteres essentiales habet. Quaestio nec vana hinc oritur, malum illud idiopathicumne fuerit, an prioris inveterati forma modo nova? Eratne impetigo prima, ut quidem diximus

quae mala sint, ea omnia ad cutis morbos referenda crediderim — quare superflua sanguinis etc. etc. — Vide praesertim Seg. *Henr. Jackson* Dermapathologie, a. d. Engl. Erfurt. 1794. Abschn. XX. p. 159.

1) *Frank* pag. 33. 147.

2) *Poupart* l. c. pag. 19. 28. 29.

3) *Alibert* l. c. pag. 328 — „car une transpiration trop abondante est aussi favorable à la diathèse herpetique, qu'une transpiration habituellement interruptée etc. etc.

scabies? Non sum certior factus de hac re. Ponamus autem scabiem fuisse, ut opinari licet, num progressus mali occultos vel transitum unius in alterum conjicere liceat? Huic opinioni repugnant *Frankii* [1]) et *Wichmanni* [2]) sententiae, etsi nuperrime *Batemannus* [3]) unum exanthema in alterum transmutari posse iudicavit. Nonne nihilominus scabiei inveteratae momenta accedere potuerunt, quae cum illa conjuncta herpetem gignerent? Multa certe ab auctoribus collata exempla scabiei transitum in herpetem confirmant [4]), atque nostrum exanthema ipsum formam illi Graecorum psorae inveteratae similem habet, quamvis transmutatio iusta quidem non est accipienda.

§. 48.

Quasi crisis [5]) exanthematis, tunc jam expetandi, anno decimo quinto, menstrua apparuerunt copiosa, quibus fluor albus, malorum cutaneorum comes frequentissimus, associabatur. Quamvis cum

1) l. c. pag. 148.

2) l. c. pag. 40. §. 10.

3) l. c. Preface pag. XIV. „Again, the diseases which commence with one generic character, are liable occasionally to assume another, in the course of their progress etc.“

4) *Alibert* l. c. pag. 325. *Poupart* l. c. pag. 23. 26. 28.

5) *Lorry* l. c. pag. 71. loquitur de foeminis ad mala cutanea propensis, inter alia: „nisi tamen nitor cutis fluore albo aut menstrua sanguinis copiosa vacuatione redimetur.“ *Alibertus* l. c. pag. 325. casum etiam affert in quo leucorrhoea et herpes vicissim apparebant. Confer. *Poupart* l. c. pag 91.

in quo bene consideretur cutis functio ita delapsa, ut certissime post mensium cessationem exanthematis gravissimi adventum praesagire valuerimus. Apparuit etiam momento quo tanquam idiopathicum et sympathicum malum habere illud nobis licet. Gradatim cum hujus efflorescentiae formatione, caeterorum organorum vitalitas labitur, vice versa, donec cutis ipsa moritur, ejusque phaenomena pathologica viribus mortuis traduntur. Vis vitalis in illis modo locis adhuc deprehenditur, ubi epidermis cuti inhaerens exanthematis formam primitivam tam obscure refert, ut oculo nonnisi armato observare illam liceat. Ut vaporem quasi malum adhuc agnoscimus ex foetore late exhalante, atque vel hoc efflorescentiae vegetationis non cessantis symptoma essentiale vitae exitu evanescit.

§. 36.

Omnia quae sectio anatomica nobis detexit, systematis reproductivi statum morbosum demonstrant, rationem ejus vero ad exanthema ipsum non absolute indicant. Manifestum est, vertebrae dorsalis deformationem internorum quoque organorum structuram abnormem traxisse, ita simul exanthemati faventem, non solam tamen hoc produxisse.

---

tibus dimidia feminarum pars morbis afficiantur cutaneis et eo magis rebellibus, quo magis antea nituere etc." *Poupart* l. c. pag. 40. 42. *Frank* l. c. pag 148 praesertim vero pag. 150. „Quo tempore menstrua apud mulieres suspenduntur, aboletur excretio: eo, *herpes* non raro *malignam* carcinomaticam quasi naturam assumit."

Sic hepatis in cavo angusto coarctati functio non raro liquet impeditam fuisse, unde cutis detrimentum non exiguum cepisse videtur, secundum quod auctores plurimi de hepatis vi ad efflorescentias producendas jam dixerunt. [1]) Renum quoque forma mutata apparet. Genitalia ab omni suspicione libera opinionem causae syphiliticae longe removent, cerebri autem atque medullae spinalis status normalis illa, quae de symptomatum nervosorum origine diximus, videntur comprobare.

§. 51.

His tandem praemissis, locus est designandus, quem exanthema nostrum ratione causali obtineat. Dispositione ad morbos cutaneos jam prioribus impetiginibus prodita, illud primo ut malum *idiopathicum* ingrediens conspicimus. Suppressum fortasse clam ac lente serpit, mox tanquam ex insidiis foeditatis horrendum prorumpit contra mensium cessationem ut *antagonisticum*; postremo prodit tanquam *consensuale* cum organismi statu morboso universali, astheniae characterem dynamicum ferens. Has tres rationes eo magis simul adstantes accipere nobis licet, quo verisimilius ex supra dictis est, exanthema ab initio sine aliis morbi phaenomenis, haec vero item sine illo oriri, illisque datis conditionibus ex reactione unius mali in alterum vice versa, efflorescentiae nostrae extensionem ac intensionem exi-


---

1) *Retz* die Krankheiten der Haut, a. d. Franz v. D. E. A. P. (1788) pag. 78. *Frank* l. c. pag. 25. etc. 246. *Lorry* l. c. pag. 51.

stere potuisse. Hujus statu primitivo non respecto, neque habita ratione organismi praeterea aegrotantis, certo propensi fuissemus, exanthema nostrum ut genus novum atque gravissimum aestimare, quod jam ob formam suam mirabilem dignius videtur attentione, quam herpes furfuraceus simplex vulgo apparens.

§. 52.

Quodsi in arte nostra partitiones non modo ut formae logicae considerandae sunt, sed etiam praxi usum gravissimum afferre debent, ex nostri quoque casus discussione notitias usui fructuosas haurire nobis licet. Quis enim non intelligat, aegrotam nostram, dispositione ejus ad mala cutanea tempestive respecta, rerum his vel aliis morbis faventium vi refutata, secretionibus ad naturae normas restitutis, maxime vero efflorescentiae eruptione statim ac bene observata, a mali illius malignitate liberari potuisse, cui ut mederemur, nos sero vocati sumus. Quum tamen malum teterrimum sanare non valuerimus, interdum illius per se jam memorabilis descriptione fideli, argumenti novi ad exanthemata in universum propius illustranda proponendi consilium, subsequi volui. Propositum audax, disquisitio ardua, consideranti quod *Pope* poeta egregie dixit: „pars modo est eorum quae adspicimus.“



F. Guimpel del. ad nat. pinx. et sc.

Tab: II.



[illegible]